OBSERVATIONES CRITICAE ET HISTORICAE IN TERENTIUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS SCHINDLER

MARCHICUS.

HALIS SAXONUM.

FRANCOFURTI AD VIADRUM. — TYPIS EXPRESSERUNT TROWITZSCH & FILIUS.

MDCCCLXXXI.

FERDINANDO SCHINDLER

PATRUO CARISSIMO

STUDIORUM SUORUM FAUTORI HUMANISSIMO

D. D.

AUCTOR.

I.

De Arusiani Messii testimoniis Terentianis.

In praefatione ad Arusiani Messii „exempla elocutionum“, nuper in grammaticorum latinorum volumine VII. edita, Henricus Keilius demonstravit, omnes illius libri codices ductos et descriptos esse ex codice Neapolitano bibliothecae regiae IV., A., 11. Hac igitur in editione, quae illius codicis lectiones exhibet, grammatici scriptura ad certam fidem revocata est.[1]) Quamquam autem Neapolitanus cum gravioribus corruptelis non vacet, ad Terenti fabulas emendandas haud multum valet, tamen operae pretium est, exempla ex Terentianis fabulis ab Arusiano adscripta componere. Nam conferenti mihi lectiones Arusiani testimoniis oblatas cum eis, quas codd. Terentiani praebent, Victorianus ex omnibus libris manuscriptis longe maxima affinitate cum Neapolitano conjunctus videbatur esse.

Ex quo sequitur sententiam Umpfenbachii, qui hunc codicem „recensionem Calliopianam ex Donati commento refictam“ exhibere existimat,[2]) probari non posse.

Arusiani igitur centum et septuaginta tria testimonia Terentiana in tria genera distribuenda sunt. Primum genus amplectitur ea exempla, quae easdem lectiones exhibent atque omnes codices Terentiani; alterum constat ex testimoniis, quorum lectiones ab omnium codicum scriptura recedunt; tertium continet eos versus, ubi Arusianus aut cum uno codice facit aut cum compluribus. Apparet primum et alterum genus nihil valere ad illam quaestionem solvendam, quibuscum potissimum codicibus Terentianis grammaticus consentiat. Sed nihilo minus etiam haec genera tractabo, ut testimoniorum summa oculis subjiciatur.

---

[1]) Umpfenbachius et reliqui editores usi sunt editionibus illius grammatici a Maio a. 1815, 1823 et a Lindemanno a. 1830 factis.

[2]) Umpfenb. praef. p. 1. — Duo genera Terentianorum librorum esse statuit Umpfenb., antiquius alterum codice Bembino [s. IV./V.] repraesentatum, alterum ex recensione Calliopii ductum.

I.

Primum testimoniorum genus.

Huc pertinent septem et septuaginta exempla.

a. duo de septuaginta, quae easdem lectiones praebent atque omnes libri manuscripti nimirum exceptis interdum codicibus quibusdam minoris auctoritatis:

Ad. I., 2, 73. — III. 2, 12. — IV., 1, 1; 17; — 3, 12; — 4, 1; 7, 36. — V., 3, 53; — 4, 17; — 8, 5; 16; 21; 27; — 9, 8.

And. prol. 1. — I., 1, 15; — 5, 57. — II., 1, 22. — III., 3, 14; 30. — IV., 2, 11; 4, 1; 18. — V., 1, 12.

Eun. prol. 3. — I., 1, 14; — 2, 22; 25; 46; 51; 110. — II., 2, 31; 53; — 3, 2; 6. — III., 1, 34; — 5, 38. — IV., 3, 7; — 5, 12; — 7, 10; 19; 45. — V., 2, 16; — 4, 26; — 8, 20.

Heaut. prol. 13; 41. — I., 1, 10; 60. — II., 1, 13; — 3, 16; 30. — III., 2, 14.

Hec. I., 2, 46. — II., 1, 30. — III., 2, 24. — IV., 4, 21; 23; 63. — V., 3, 40.

Phorm. prol. 2; 29. — II., 1, 17; — 2, 26; — 3, 17. — IV., 3, 18; 48. — V., 9, 64.

---

b. Huc accedunt novem Arusiani testimonia, quae consentiunt cum codicibus Terentianis excepto uno Victoriano. Is autem recedit his locis errore librarii; nam aut ab altera manu[1]) correcta est scriptura aut verborum ordo mutatus est, quod quidem saepissime in hoc codice invenitur neque raro librarii erroribus tribuendum videtur.

[1]) De manibus, quae extant in Victoriano, Umpfenbachius praef. p. XX. scribit haec: „Correcturis autem magis est refertus codex, quam ullus alius Terentianus, quem viderim: in quibus cum eiusdem aetatis et inter se persimiles sint amborum scribarum ductus neque ex atramento semper, uter correxerit, cognosci potest, nolo spondere recte a me ubique primae et secundae manus correcturas discriminatas esse, quae nomina jam apparet aliter atque vulgo fieri solet adhibita esse.

Sed moneo his locis Victorianum etiam a Donati commentario aberrare; nam nisi res ita se haberet, illas discrepantias ex librarii neglegentia exortas esse non putandum est:

Ad. V., 1, 3: „rerum omnium" D. G.[1])
„omnium rerum". Ar. et rell. codd.

And. I., 1, 102: „in ignem posita est". D.
„in ignem imposita est". Arus. et rell.
Cum cod. G. „imposita" praebeat et constet G. et D. propinquitate quadam maxime conjunctos esse, putandum est librarium cod. D. hic erravisse.

Eun. III., 5, 51: „oms simul". D.
„simul omnes" Ar. et rell.

Eun. V., 5, 5: „quem praestolare, Parmeno" in D. omissa, sed in margine a D² suppleta sunt. — Arusiani librarius erravit scribens „ortum" pro „ostium".

Heaut. II., 3, 9: „de quanta". D.
„quanta de". Ar. et rell.

Heaut. II., 4, 2: „Id cum studuisti, isti formae ut mores consimiles forent". A et R. Call.[2]) — „is formae" pro „isti formae" praebet Arusianus, nimirum quod librarius erravit propter antecedens „studuisti"; propterea etiam in DG omissum est „isti".

Hec. III., 2, 12: „cura: corde" [corr. D.²: ex]
„cura ex corde" Ar. et rell.

Phorm. III., 3, 21: „nos" om. D,[1] add. D.²

Phorm. IV., 3, 29:[3]) „erus ut his" pro „ut erus his" D¹.

II.
Alterum testimoniorum genus.

Septem et quinquaginta exemplis Arusianus ab omnium codicum scriptura recedit. Ex his

---

[1]) Notis librorum usus sum eisdem, quas adhibuit Umpfenbachius:
A. Bembinus. D. Victorianus. P. Parisinus.
C. Vaticanus. G. Decurtatus. Ar. Arusianus.

[2]) R. Call = recensionis Calliopianae codices.

[3]) D² add. „hic", quod sine dubio irrepsit ex antecedente versu, ubi extat: „nunc hic inquam".

1. Undequinquaginta exempla sunt, quorum lectiones discrepant a reliquis codicibus inter se consentientibus.

a. Quattuor locis Arusianus ipse in codice vel in codicibus, quos adhibuit, corruptelas invenisse videtur; regula enim praeposita vindicat grammaticus contra omnes scribendum esse:

And. II, 2, 14: „de hoc me libera miseram metu" pro „hoc me libera miserum metu".

Heaut. I., 1, 81: „quod illis aetas mira[1]) ad haec utenda idonea est" pro: „quod illa aetas magis ad haec" cet.

Phorm. I., 1, 1: „amicus summus mei" pro „meus".

Phorm. V., 8, 54: „condonamur te" pro „condonamus te".

---

b. Tribus et quadraginta locis erravit librarius, qui Arusiani librum descripserat, partim singulis literis et totis verbis omissis aut additis, partim singulis literis mutatis, partim verborum ordine variato:

α. Verba errore quodam omissa sunt:

Ad. I., 1, 27: priore loco „quae" om.

Ad. II., 4, 5: „coram" deest.

Ad. IV., 2, 24: „modo" om.

And. IV., 5, 1: „hac" om.

Eun. II., 2, 39: „suum" om.

Eun. V., 2, 5: „ego in pedes". Ar. — „egomet in pedes" rell. codd. — Scribendum est: „ego me in pedes".

Heaut. III, 1, 28: „quia pessime istac in te atque illum consulis" pro „quia pessime istuc in te atque in illum consulis".

Hec. prol. 1: „Hecyra" om.

Hec. IV., 4, 64: „ut" om.

Phorm. I., 4, 2: „te" om. — „impuratum" pro „imparatum".

Phorm. I., 4, 13: „atque me coicere protinus in pedes" pro „atque hinc me" cet.

Phorm. II., 1, 40: „ut" om.

[1]) „Mire ad haec" cet. legisse Arusianum conjecit Lindemannus.

Phorm. IV., 3, 52: gravior corruptela statuenda est; exemplum in cod. Neapolitano sic scriptum est:
Sponsa mihi est, Ter. Eun., „. . . . . sponsa mihi est“. Keilius p. 510 adnotat haec: „duo exempla Arusianus adscripserat, Eun. V., 8, 6: „scis sponsam mihi“ et Phorm. IV., 3, 52: „quae sponsa est mihi“.

β. Literarum vel verborum mutationes et additamenta:

Ad. III., 5, 2: „ad“ pro „apud“.

Ad. V., 3, 29: „utentur“ pro „utantur“.

Ad. V., 7, 8: „vis tu huic seni absceultare“ pro „vin tu huic seni auscultare“.

And. prol. 8: „appulit“. rell. codd. excepto uno Victoriano praebent: „adpulit“.

And. I., 1, 34: „adprime meis me omnibus“ pro „adprime in vita esse utile“; legitur enim apud Arusianum versu insequente hoc: „meis me omnibus“. cf. Keil p. 454, 4. 455, 5.

And. I., 2, 28: „pistrinū“. corr. „pristinu“ eadem manu, ut videtur; rell. „pistrinum“.

And. V., 1, 3: „inlusit invitus filiae“ pro „paene inlusi vitam filiae“. Librarius hoc loco omnia perturbavit et corrupit. cf. Keil p. 480, adnot. ad v. 1.

And. V., 3, 19: „huisus“ pro „huius“.

Eun. I., 2, 5: „jam calescis plus“ pro „jam calesces plus satis“.

Eun. II., 2, 10: „ortam“ pro „ortum“.

Eun. III., 1, 3: „verio“ pro „vero“.

Eun. III., 1, 25: „qui habes“ pro „quia habes“.

Eun. V., 4, 20: „impure“ pro „impune“ et „inluserit“ pro „inluseris“.

Heaut. II., 4, 19: „fuerunt“ pro „fuere“.

Heaut. II., 3, 77: „quas malim (sic!) ambages mihi narrare incipit“ pro „malum“ et „occipit“.

Heaut. III., 1, 102: „in nos“ pro „inter nos“.

Heaut. IV., 4, 5: „pendebat“ pro „pendebit“.

Hec. prol. 21: „poëta“ pro „poëtam“.

Hec. I., 2, 119: „quo occepi hoc iter“ pro „quo coepi hoc iter“.
Hec. III., 5, 36: „commeritust“ pro „commeritast“.
Hec. IV., 1, 3: „peripuit“ pro „corripuit“.
Phorm. V., 6, 33: „consuevit olim cum matre“ pro „cum eius consuevit olim matre“.
Phorm. V., 9, 63: „vim“ pro „vin“. — „Nausistracta“ pro „Nausistrata“.
Phorm. IV., 4, 1: „emunxi argento senem“ pro „senes“.

γ. Verborum ordo contra omnes libros manuscriptos mutatus est:

Ad. III., 4, 18: „functus est officium“ pro „functus officium est“.
Ad. IV., 4, 6: „me expediam ex hac turba“. — rell.: „me ex hac expediam turba“.
And. V., 5, 8: „solum solide“ pro „solide solum“.
Eun. II., 2, 1: „homo homini“ pro „homini homo“.
Heaut. II., 3, 101: „in utramvis aurem rem“ [„rem“ delet.] pro „in aurem utramvis“.
Phorm. I., 3, 13: „ut mihi liceat, quod amo, tam diu frui“ pro „tam diu, quod amo, frui“.

---

c. Duobus locis Neapolitanus solus contra omnes codices Terentianos inter se consentientes genuinam scripturam servavit:

Ad. V., 8, 6: cum Neapolitano scribendum est „uxori est“; rell. codd. praebent: „uxoris est“.
And. IV., 4, 44: „Chremes“ exhibet Neapolitanus; displicet reliquorum scriptura: „Chreme“.

---

2. Octo exempla, quorum lectiones discrepant ab omnibus codicibus Terentianis inter se dissentientibus:

a. Septem locis erravit librarius codicis Neapolitani:

Ad. II., 3, 9: „qui in omnia“ Arus.
„qui omnia“ D.G.
„quin omnia“ R. Call.
„qui ignominia“ A.

Recensionis Calliopianae scriptura probanda est. cf. p. 26.

Andr. I., 1, 79: „quam metui“ Arus.
„ei metui“ D.
„metui“ reliqui recte praebent.

Eun. II., 3, 9: „ludum jocumque fuisse dicet illum alterum, pre ut huius scabies quae dabit“. Arus. — „dicet fuisse illum alterum, pre ut huius rabies quae dabit“. A.
„dices fuisse illum alterum“. R. Call.
„dices fuisse alterum illum“. D.G.
Bembini scriptura genuina est.

Eun. III., 3, 14: „huc sperat se a me avellere“. Arus.
„hoc sperat se posse a me avellere“. D.G. cum Donato.
„hoc sperat se a me av.“. rell.; quod verum esse videtur.

Eun. V., 6, 19: „minitaris“ Arus.
„minitare“ R. Call.
„minare“. rell.; hoc praeferendum est.

Hec. II., 2 20: „studeo haec prius quam ille redeat“;
„ut“ vel „huc“ om. Arus.
„ut redeat“ D.; „huc“ corr. D.[2]
„ut redeat“ A.; „ut“ corr. A.[1]
„ille huc redeat“ R. Call. et Donatus.

Phorm. II., 1, 41: „rei foret aut infamiae temperans.“ Arus.
„rei foret aut famae temp.“ A. D. G.
„foret rei aut famae temp“. Rec. Call.

Bembini scriptura probanda est.

---

b. Uno loco Arusianus solus omnibus Terenti codicibus inter se dissentientibus veram scripturam servavit:

Heaut. IV., 2, 6:
„bolum mihi tantum ereptum tam desubito ex faucibus“. Arus.

„mihi ēē ereptum" D. [ēē add. D.[2]]; „subito" D.G. „tantum mihi ereptum tam desubio (sic!) e fauc." A. „mihi esse ereptum tam subito". R. Call. — cf. p. 26.

III.
Tertium testimoniorum genus

continet reliqua undequadraginta exempla; quae aut cum uno codice faciunt aut cum compluribus.

1. Quattuor locis Arusianus eadem praebet atque Bembinus et codices recensionis Calliopianae ita, ut unus Victorianus ab omnibus recedat:

Andr. V., 5, 5: „si nulla aegritudo huic gaudio intercesserit".
D.: „si nulla unquam aegritudo" cet.

Heaut. II., 3, 60: „ad dominas, qui adfectant [„adfectat" Arus.] viam". — D.: „quae adfectant".
Apparet vocem „quae" pro „qui" exortam esse ex vocibus, quae antecedunt, nempe „dominas" et „ancillas".

Phorm. V., 9, 29: „eam compressit, unde haec nata est, neque post illa unquam attigit".
D.: „post illam". — „post illam" pro „post illa" ducendum est ex verbis antea dictis: „eam compressit"; praeterea hic etiam unus ex codicibus recensionis Calliopianae [C.] erravit, qui „illam" exhibet.

Phorm. V., 9, 37: „exsequias Chremeti, quibus est commodum ire, em tempus est" [Arus.: „emptus est"]. — D. „jam tempus est".

Videmus igitur illas Victoriani discrepantias haud magni momenti esse; nam omnes praeter And. V., 5, 5 errori librarii tribuendae videntur esse. Praeterea ne hic quidem Victorianus Donatum sequitur.

---

2. Quinque autem versibus Arusianus cum codicibus recensionis Calliopianae solis consentit:

And. II., 1, 2: „apud forum modo e Davo audivi“. — D.: „e Davo modo“. — A.: deest. —

And. II., 5, 12: „erus, quantum audio, uxore excidit“ — D.: „inquantū audio, ab uxore excidit“. A.: deest.

And. IV., 1, 15: „adeamne ad eum et cum eo injuriam hanc expostulem?“ [Arus.: „eam“ pro „eum“] D.: „adeon ad eum“ cum Prisciano II. p. 194. — A.: deest.

Hec. I., 2, 94:

„paulatim elapsus est Bacchide atque hunc transtulit amorem“.

D. et A.: „Bacchidi“. — R. Call. et D.: „huic“. — A.: „huc“.

Hec. II., 2, 5: „meis me omnibus scio esse adprime obsequentem“. Arus. et R. Call. — „me meis“ DG, verborum ordine paululum mutato. — A.: „meis omnibus scio me esse adimprime obsequentem“.

Unde intellegi potest Bembini scripturam tribus locis [And. II. 1, 2; 5, 12 — IV., 1, 15] non servatam esse ita, ut codicibus recensionis Calliopianae duae modo lectiones, quas cum Arusiano solo praebent, optimo jure tribuendae sint; sed ne his quidem locis [Hec. I., 2, 94. — II., 2, 5] valde discrepat Victorianus.

---

3. Tum quinque exempla inveniuntur, ubi Arusianus cum codice Bembino consentit dissentientibus reliquis libris omnibus:

Ad. III., 2, 46: „peiore res loco non potis est esse“ Arus.
„peioreș loco non potis est esse“. A.
„non potest esse“ DG et R. Call.

Ad. IV., 5, 32: „qui illa consuevit prior“ Arus. et A.
„qui cum illa consuevit prius“ R. Call.
„quid cum illa consuevit prius“ DG.[1])

[1]) Umpfenb. quidem haec praebet: DG: „qui cum illa“. — Sed A. Fritzschius, qui hunc locum cum Parisino 9703 a contulit, in Philolog. XXXII. p. 458 sic tradidit Victoriani et Decurtati scripturam: „quid cum illa consuevit“.

Ad. IV., 5,78: „ne morae meis egomet siem“ Arus. et A.
„ne mora meis“. D.G. et R. Call.

Eun. prol. 17: „habeo alia multa, quae nunc condonabitur“. Arus. et A.
„quae nunc condonabuntur“ D.G. et R. Call.[1])

Phorm. V., 3, 20: „vide, ne in cognatam pecces“ A. et G.
„vide in cognatam pecces“ [„ne“ om.] Arus.
„cave, ne“ cet. D. et R. Call. — Cum G. praebeat „vide“, verisimile est, etiam librarium cod. D in archetypo hoc verbum legisse, sed secundum rec. Call. mutasse.

Viginti quinque locis, qui restant, Victorianus eadem exhibet atque Arusianus partim solus cum illo consentiens, partim altera codicum familia astipulante altera dissentiente:

4. Quattuor igitur Arusiani exempla praebent Victoriani et Bembini scripturam:

Heaut. II., 3, 64: „mulier telam [Arus. errore librarii „tejam“] desinit [et deserit]“ Arus. cf. Keil p. 464, 2. — „desinit“ D.G. — „desinit“ (r superscr.) A. corr. rec. — „deserit“ R. Call.

Heaut. III., 3, 40: „cui dragmarum haec argenti minus habet“ exhibet Arusianus; erravit nimirum librarius, quod sequens versus in Arusiani exemplis sic incipit: „minus habet uno“. — Extabat igitur etiam apud Arusianum olim genuina scriptura: „mille dederat mutuum“. — Bembinus autem cum Arusiano versum sic exhibet: „huic drackmarum haec argenti mille dederat mutuum“.
In Victoriano haec scripta sunt:
„huic drachma (rū superscr.) ///// [corr. D.[2]] argenti / hec [add. D.[2]] mille dederat mutuum“.
Apparet igitur vocem „haec“ ante „argenti“ scriptam fuisse; altera autem Victoriani manus induxit illud „haec“ et post „argenti“ addidit secundum recensionem Calliopii, quae „argenti haec“ praebet.

---

[1]) Etiam unus ex codd. rec. Call. [C.] hic cum Arusiano facit.

Heaut. IV., 8, 32: „te scientem faciam“ Arus. et A. „sciente //“ D.; quae correctura exorta est ex lectione, quam codd. Calliopii praebent, nempe „sciente“.

Heaut. V., 1, 57: „pergo“ Arus. et A.
„p̄go^{am}“ D [corr. D[2]].
„pergam“ R. Call.

---

5. Jam Victorianus et codices e recensione Calliopiana ducti faciunt cum Arusiano his duodecim locis:

Ad. I., 1, 38: „vestitutu [sic!] nimio indulges“. Arus. „vestitu nimio indulges“ D. et R. Call. „indulgis“. A.

Ad. III., 2, 18: „sublimem medium abriperem et capite primum in terram statuerem“ Arus., D, R. Call. [sed D. et R. Call. „arriperem“]. — „sublimem medium primum arriperem et capite in terra stuerem“. A.

Ad. III., 2, 22: „impertiri“ A. — „impertire“ Arus. et rell.

Ad. V., 2, 11: „edormiscam hoc vini“ Arus., D., R. Call. „villis[sic]“ A. — „villi“ G.

Ad. V., 4, 22: „hic potitur gaudia“ D., G., R. Call., Arus. — A.: „potitur commoda“ [corr. rec. „gaudia“].

Eun. IV., 4, 55: „hac re et te [Arus. omis. „et“; cf. Keil p. 472 ad v. 21] omni turba evolves“. Omnes praeter A. — A: „et omni te“.

Hec. III., 3, 33: „aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus“. Arus. D. R. Call. „concubuisse mensibus“ A.

Hec. IV., 1, 7: „uxor ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras“. rell. — A.: „uxorem“.

Hec. IV., 1, 19: „esset cum illo [Arus.: „Camillo“!] nupta“. — A.: „cum illa“.

Hec. IV., 1, 40: „quicum tot consuevisset annos“ rell. — A. G.: „quacum“. — A.: „consuisset“.

Hec. IV., 4, 92: „abhorrere huic video animum a nuptiis“. — A.: „video nuptiis“.

Phorm. V., 4, 2: Arus.: „in amico cupiditate [nimirum errore librarii pro „in animo cupiditates“] quas cum res adversae sient, paulo mederi possis“.

D. et R. Call: „parare in animo cupiditates, quas“ cet.

A.: „in animo parare cupiditates“ cet.

Etiamsi concedendum est nonnullis locis [Ad. I., 1, 38; Hec. IV., 1, 7 et IV., 1, 19] manifestas Bembini corruptelas extare, tamen verae illius codicis discrepantiae, quae relinquuntur, haud paucae sunt.

---

6. Restant novem Arusiani testimonia, quae easdem lectiones exhibent atque Victorianus, cum reliqui libri recedant:

Adel. V., 8, 26: „agelli paullulum, quod locitas foris“. Arus., D.G. — „agelli est hic sub urbe paululum [vel „paulum“], quod locitas foras“. rell.

And. prol. 5: „operam“ Ar. et D. — rell.: „opera“.

And. prol. 14: „transtulisse se atque“ D.
„transtulisse se utar“ [err. libr.] Arus.
„transtulisse atque“ [om. „se“] rell.

Eun. I., 2, 52: „videt honestam virginem et fidibus scire“ Arus. et D. — „Forma videt honesta virginem“ cet. R. Call. — „Formam videt honesta“ cet. A.

Eun. II., 2, 43: „ut falsus animi est“ Ar.
„ut falsus anim$\overset{i}{o}$ est“ D., corr. D.^{2}
„animo“ rell.

Eun. V., 2, 44: „tunc pol tibi ab isto Chaerea cavendum intelligo“. Arus. et D.
„ab istoc era“ R. Call. — „ab isto era“ A.

Hec. I., 2, 64: „plus potuisse illa abstinere ut potuerit“ [pro „potuerint“] Arus.
D.: „potus//se“ [„prior „s“ ex „i“ ut videtur“ Umpfenb.]; exhibuit igitur „potuisse“. — A.G.: „potus se“.
R. Call.: „poti/sse“ [C.P.], „potisse“ [B.] — In rec. Call. igitur libris, ut in Bembino, scriptum fuit: „potus se“.

Hec. II., 1, 2: „ut omnes mulieres eademque studeant nolintque omnia“ Arus.
D.: „utin omnes ..... eadem eq“ [e in ras. D.]; librarium verisimile est legisse „eademque.“ rell: „eadem aeque“.

Hec. II., 1, 6: „in eodemque mihi videntur ludo doctae ad militiam“ Arus. et D.
rell: „ad malitiam“.

Sed paucis, quae adhuc demonstravi, repetam. Exemplis igitur Arusiani septem et septuaginta, quae eadem exhibent atque omnes libri Terentiani, et septem et quinquaginta, quae recedunt ab omnibus, exceptis reliquorum unde quadraginta ratio est haec:

A. facit cum Arusiano tredecim locis, quorum quinque praebent lectiones reliquis libris dissimiles; recedit viginti sex locis.

Codices recensionis Calliopianae consentiunt cum Arusiano uno et viginti locis, quorum quinque vel potius duo [cf. p. 13] offerunt lectiones reliquis libris alienas; recedunt duo de viginti locis.

Victorianus autem sequitur Arusianum viginti quinque locis, quorum novem praebent lectiones, quae in reliquis non inveniuntur; recedit quattuordecim locis, quae quidem discrepantiae partim levissimae partim non modo Arusiano ipsi alienae sunt, sed etiam omnibus codicibus praeter Decurtatum quippe quem ad Victoriani familiam pertinere constet.

Jam his ex numeris intellegi potest, Victorianum ex omnibus libris Terentianis maxime consentire cum codice Neapolitano Arusiani; post Victorianum autem codices recensionis Calliopianae. Quod etiam dilucidius apparet ex ipsis locis supra scriptis, quos iam accuratius inspiciamus.

Itaque ad unam familiam pertinere codicem Victorianum et Arusiani librum ex communibus utriusque corruptelis intellegitur. Nam etiamsi quis fortasse locos quosdam, velut Andr.

2

prol. 14: „transtulisse se“ pro „transtulisse“, Hec. I., 2, 64: „plus potuisse“ pro „plus potus se“, casu quodam et communi duorum librariorum errore exortos esse arbitretur, tamen negari nequit aliorum locorum corruptelas, velut Eun. I., 2, 52; V., 2, 44; Hec. II., 1, 6 profectas esse ex depravatis unius archetypi scripturis. Itaque illi quoque loci, in quibus aut vera et optima aut certe non prorsus neglegenda scriptura et apud Arusianum et in Victoriano codice invenitur, ut And. prol. 5; Adel. V., 8, 26; Hec. II., 1, 2, — sine dubio illos codices ad eandem familiam pertinere demonstrant. —

Huc accedunt nonnulla Arusiani exempla, quae si non eandem atque Victorianus scripturam at certe similem praebent ita, ut inde etiam intellegamus Arusiani codicem et Victorianum propinquitate quadam conjunctos esse:

And. I., 1, 79: „quam metui“ Arus.
„ei metui“ D.
„metui“ rell.

Hec. II., 2, 5: „meis me omnibus“ Arus.
„me meis omnibus“ D. [verborum ordine paululum modo mutato]. — Sed A.: „meis omnibus scio me esse“ cet.

Fortasse etiam Heaut. II., 4, 2 et Phorm. V., 9, 37 in libris a grammatico adhibitis et in Victoriani archetypo jam depravata erat scriptura:

Heaut. II., 4, 2: „is formae“ pro „isti formae“ praebet Arus. — „isti“ omiserunt D.G.

Phorm. V., 9, 37: „emptus est“ pro „em tempus est“ Arus. — „jam tempus“ D.

Sed praeter reliquos illos locos, qui in codicibus recensionis Calliop. et in Arusiani libro congruunt [cf. pp. 12, 13, 15], etiam complures extant, in quibus illi libri scripturam similem praebent atque Arusianus; putandum igitur est etiam Calliopium Terenti fabulas recensentem eandem codicum familiam adhibuisse atque Arusianum ex illis fabulis exempla excerpentem. — Nam cum Ad. II., 3, 9 Bemb. „qui ignominia“, Arusianus „qui in omnia“, Calliopius „quin omnia“ scriberet, apparet Arusianum et librarium Victoriani et Calliopium eadem codicum

familia usos esse.[1]) Sic quoque res se habet Eun. V., 2, 44, ubi Bembinus „ab isto, era“ praebet, Arusianus et Victorianus „ab isto chaerea“, Calliopius autem „ab istoc era“. — Etiam Ad. V., 8, 26 scriptura „foris“ Arusiani et Victoriani, quae antea in codicibus recensionis Calliop. fuerat [P.[1], C.[1]], a librariis [archetypum Calliopii describentibus] mutata est in „foras“ [P.[2], C.[2]].

Jam idem intellegi potest ex

Eun. V., 6, 19: „quod minitaris“ Arus.
„quod minitare“ R. Call.
„minare“ rell.

et ex Hec. IV., 4, 64: „oravi tecum uxorem duceres“ om. „ut“ Arusianus, suprascripto „ut“ Parisinus.

Quamquam autem adhuc non constat, quo tempore Calliopius Terenti fabulas „recensuerit“, certum est illam recensionem factam non esse, antequam codices, quos Arusianus[1]) usurpabat, scripti sunt.

Itaque colligi possunt haec:

1. Primum Calliopium ad recensendum libros manuscriptos adhibuisse, qui ad eandem familiam pertinuerunt atque libri Arusiani.

2. Deinde non modo illas lectiones, quas Arusianus et codices Calliopiani praebent, sed etiam magnam partem earum, quae et in Victoriano et in libris Calliopianis extant, profectas esse non ex recensione Calliopii,[2]) sed ex fonte quodam et Arusiano et Calliopio et librario codicis Victoriani communi.

3. Postremum maximam partem lectionum, quas Victorianus solus contra omnes exhibet, pertinere ad familiam libro-

---

[1]) cf. p. 26.

[2]) Arusianum aetatem egisse quarto saeculo exeunte constat. cf. Keil praef. p. 447.

[3]) Librarius igitur Victoriani omnes illas lectiones non in textum recepit ex codice, qui „integram recensionem Calliopianam exhibuit“, ut Umpfenbachio videtur; sed et ille et Calliopius eodem archetypo usi sunt [vel libris ex eodem archetypo ductis].

rum Arusiani ideoque auctoritatem tertiae cuiusdam familiae praeter Bembinum et codices Calliopianos prae se ferre.

Sed cum in Victoriano multa ex Calliopii recensione mutata et correcta sint, putandum est, librarium archetypi Victoriani praeter libros ex ea familia ductos, quam Arusianus usurpavit, etiam codicem aliquem ex recensione Calliopiana profectum adhibuisse; id vero pernego, quod Umpfenbachius existimat [praef. p. XX.] „jam exemplar, ex quo codex D. transcriptus est, recensionem integram Calliopianam exhibuisse correctam ex Donato“.[1])

Primum enim ex eo, quod Victorianus Calliopii subscriptionem ipse testatur [cf. Umpfenb. praef. p. XIX.], concludi non potest, hunc codicem ex illius grammatici recensione manasse; hanc subscriptionem etiam librarius archetypi Victoriani addere potuit ex eodem codice recensionis Calliopianae, unde correcturas suas eum prompsisse supra contendi. — Tum Umpfenbachius ostendit, fabularum ordinem in D. et G. eundem esse atque in Donati commentario. Sed non habemus, cur negemus hunc ordinem etiam in codicibus Arusiani fuisse eumque a Calliopio demum in libris suis mutatum esse.

At inveniuntur in Victoriano scholia e Donati commentario ducta, ut Umpfenb. ostendit.[2]) Inde autem non potest concludi librarium usum esse Donati commentario; nam scholia Donati etiam extant in Bembino, neque tamen quisquam contendet propterea „Bembinum ex Donato refictum esse“.

---

[1]) Jam C. Dziatzko dubitabat, num recta esset illa sententia ab Umpfenbachio prolata et a Friederico Leone [Quaest. Aristoph. Diss. phil. Bonn 1873, Thes. IX.] paulum immutata. – Dicit enim [„Jenaer Literatur-Zeitung“ 1879, no. 9, p. 122] haec: „Es scheint mir die Möglichkeit nicht ausgeschlossen, dass D. und G. aus einem vor die calliop. Recension fallenden und deshalb dem Bembinus nahe stehenden, aber später nach der R. C. überarbeiteten Exemplare stammen“. — Quamquam Victorianus mihi cum Bembino non tam arte conjunctus esse videtur, quam Dziatzkoni. — Jam dolendum est, quod de lectionibus codicis Parisini 9703 a nihil constat, quem ex eadem familia atque D. et G. ductum esse scimus.

[2]) praef. p. XX. et Herm. II. p. 338.

Praeterea totam hanc argumentationem, cum Donati commentarius tam depravatus neque adhuc apparatu critico instructus sit, audacissimam esse Umpfenb. ipse fatetur, Philol. XXXII. p. 443 haec dicens:

„Die in der Vorrede zu meiner Ausgabe gegebene Bestimmung, dass die Urhandschrift von D.G. gleichfalls der R. C. angehörte, aber aus einer dem Bembinus nahe verwandten und mit Donatscholien durchschossenen Handschrift durchgebessert war, beruht natürlich auf einer von mir vorgenommenen Zusammenstellung[1]) aller Stellen, wo 1. D.G. mit Calliopius oder 2. mit A. stimmen oder 3. für sich alleinstehen; auf welche dieser 3 Seiten jedesmal das Zeugniss Donatus, soweit er vorhanden ist, sich stellt. Aber freilich unseres Donatus, als dessen besten Text wir den der ed. princeps [Rom 1477] zu benutzen gezwungen sind: ein Text, über dessen längst erkannte Verderbtheit nun auch die in meiner Ausgabe verwertheten pariser Fragmente [p. XI.] authentisches Zeugniss ablegen“.

Sed videamus, quid nobis Arusiani exempla ad Umpfenbachii sententiam refutandam praebeant. Donati igitur commentarius centum et quadraginta sex locis aut eadem exhibet atque Victorianus et omnes libri manuscripti aut certe eadem atque Victorianus et altera codicum familia aut Donati verba omnino non sunt servata. Quos omnes locos nihil valere perspicuum est.

Restant viginti septem exempla, quorum unum et viginti Victorianus non sic ut Donatus exhibet;

Ad. II., 3, 9; III., 2, 46; III., 4, 18; IV., 2, 24; IV., 5, 32; IV., 5, 78; V., 2, 11; V., 8, 26.

And. prol. 1, 5, 14. — I., 1, 79; II., 1, 2; II, 5, 12; V., 5, 5.

Eun. I., 2, 51; 52. — III., 5, 51; V., 2, 44.

Phorm. V., 9, 29; 37.

Jam duobus locis, ubi Victorianus Donatum sequitur, Arusianus eandem scripturam praebet atque illi:

---

[1]) U. hanc lectionum collationem non edidit.

Eun. II., 2, 43: „falsus animo est" D., corr. D.[2] (i)
„falsus animi est" Donatus et Arus.
A.: deest.

Hec. II., 1, 2: „ut" Donatus et Arusianus. — „utin" D.

Itaque ne haec quidem exempla Umpfenbachii sententiam probant.

Tum Donatus cum Victoriano consentit contra omnes codices uno modo loco,

Eun. III., 3, 14:

„sperat se posse a me avellere" Donat. et D.

„sperat se a me avellere". rell.

Haud aliter res se habet, ubi altera manus in codice Victoriano invenitur. Nam cum Donato et Arusiano et omnibus libris D.[2] correxit Hec. III., 2, 12: „cura: corde"; (: ex) contra omnes codices et Donatum D.[2] praetulit „facit" Hec. I. 2, 46, cum corrigeret sic: „fecit" (a) [D.[2]]. Cum Donato et codicibus rec. Call. contra A. scripsit „huc" pro „ut" Hec. II., 2, 20.

Sed cum Donato solo contra omnes libros et Arusianum altera manus Victoriani nusquam omnino correxit, quod gravissimum argumentum contra Umpfenbachii sententiam videtur esse. Id autem unum exemplum, ubi Victorianus Donatum sequitur omnibus libris dissentientibus Eun. III., 3, 14 vix ullius momenti est, praesertim cum non ignoremus Donati textum corruptum esse.

Sed jam Heautontimorumenum fabulam inspiciamus; quamquam enim Donati commentarius ad illam fabulam non extat, tamen in Bembino scholia inveniuntur, quae a Donato profecta esse constat.

Si igitur D.G. ex Donato refecti essent,[1]) sine ulla dubitatione eadem praeberent atque illa scholia, quae Umpf. in apparatu critico adfert.

---

[1]) cf. Umpf. praef. p. XL.: „nam in hac quoque fabula Donati operam versatam esse verisimili et paene certa conjectura efficias ex lectionibus Victoriani et Decurtati etiam in ea fabula crebro et a Bembino et ab integra Calliopii recensione dissentientibus atque ex scholiis Bembini servatis".

Inveni autem in Umpfenbachii editione undeviginti scholia ad Heautontimorumenum, quorum octo eadem praebent atque omnes libri: prol. 6; I., 1, 65; 91. — I., 2, 16. — II., 3, 123. — II., 4, 17. — III., 1, 75/76. — III, 1, 100.

Tum quattuor scholia cum Bembino faciunt contra Victorianum et Rec. Call.: I., 1, 18; II., 3, 124; III., 1, 1; III., 1, 81.

Jam unum scholion cum Victoriano et codicibus rec. Call. Bembino dissentiente praebet II., 1, 6: „peccatis“. — A.: „peccati“.

Tribus deinde locis scholia lectiones indicant nostris libris omnino non servatas: I., 1, 117; I., 2, 11; III., 1, 35.

Restant tria scholia:

II., 3, 60: schol. Bemb. cum omnibus libris: „qui adfectant viam“. — D.: „quae“.

III., 1, 37: „ingratiis“ A.P.C.[1] — „ingratis“ schol. Bemb., D., C.[2]

III., 2, 22: „in loco ego vero laudo“ schol. Bemb. cum omnibus codd.

D.: „ ∴ ego ũo laudo ∴ in loco“.

Inde apparet, Victorianum uno tantum loco III., 1, 37 cum scholiasta Bembini facere; omitto etiam codicem Vaticanum [C.], quippe qui ex eodem exemplari atque Parisinus descriptus ad familiam Calliopianam pertineat, illo loco sic, ut in scholio et Victoriano scriptum est, correctum esse. — Nihil igitur valent illa scholia Bembini ad probandam Umpfenbachii sententiam.

Restat, ut Donati commentarium ipsum tractemus. Sufficient, ut equidem puto, ad Umpfenbachii sententiam refutandam duae fabulae, Phormio et Eunuchus. Nam postquam reliquas strictim perlegi, persuasum mihi est in illis rem non aliter se habere atque in his duabus fabulis.


Habemus igitur octingentas fere Donati adnotationes ad Eunuchum et Phormionem, quarum quadringentae circiter

easdem lectiones atque omnes libri aut certe easdem atque Victorianus et altera codicum familia exhibent. Trecentos autem et sexaginta fere locos sive a Victoriano solo sive a Victoriano et altera codicum familia sive ab omnibus libris dissentientes praebet Donatus; reliquis quadraginta locis cum Victoriano [et Decurtato] contra omnes consentit. Sed illis quadraginta locis non adducor, ut credam Victorianum ex Donato refictum et Victoriani lectiones, quaecumque a reliquis libris recedunt, ex Donati commentario profectas esse, quod quidem Umpfenbachius proposuit. — Huic enim sententiae etiam aliud quiddam repugnare videtur; demonstravimus enim supra [p. 21/22], cum de Arusiani exemplis ageretur, ex tribus exemplis Donato et Victoriano communibus duo extare, ubi etiam Arusianus cum illis consentiret. — Optimo igitur jure putabimus, etiam illorum quadraginta locorum maximam partem in libris ab Arusiano usurpatis eodem modo scriptam fuisse.

Quaecum ita sint, nemo negabit hanc Umpfenbachii explicationem esse improbandam [Philolog. XXXII. p. 444]: „Lässt sich also das aus der Recension, welche der Bembinus repräsentirt, dann das aus Calliopius und drittens das aus den erhaltenen Donatscholien in D.G. gekommene Gut leicht auf seine Quellen zurückführen, so bleibt für den Rest der Lesarten, wo D.G. alleinstehen, zunächst auch donatischer Ursprung zu vermuthen.“

Sic potius statuemus: „Librarius, qui archetypum Victoriani scripsit, praeter codices ex illa familia ductos, quam Arusianus usurpavit, etiam codice aliquo recensionis Calliopianae usus est, qui nonnulla scholia ex Donati commento descripta in margine exhibuit; cuius codicis lectionum haud parvum numerum in textum recepit, quo etiam perpauca scholia irrepserunt; pauca deinde scholia in marginem ex illo codice transcripta sunt [cf. Umpfenb. praef. p. XX. adnot. 2]. Sed solae Victoriani lectiones fere omnes et magna quoque pars illarum cum codicibus recensionis Calliopianae congruentium repraesentant, ut jam supra demonstravimus [p. 19], tertiam codicum familiam, quippe quam Arusianus adhibuerit“.

Non nego paulo audacius me argumentatum esse. Nam Arusiani testimoniorum numerus exiguus est. Sed nihilo minus hanc argumentationem probabiliorem esse existimo, quam Umpfenbachianam. Liceat igitur omnes de quibus adhuc egi, codices hoc stemmate complecti:



Jam nonnulla Arusiani exempla pertractabo; sed moneo me ea modo commemoraturum esse, quae adhuc a viris doctis neglecta esse videntur.

Heaut. II., 1, 13:
codd.:

„Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum sat agit, attamen
Habet bene et pudice eductam, ignaram artis meretriciae“

A. praebet: „ductam et ignaram“.

Bentleius et Umpfenbachius consentiente codice Ambrosiano:

„. . . . . sat agitat, tamen
Habet bene et pudice eductam“ cet.

Fleckeisenus et Wagnerus, v. 14 Bembinum secuti:

„. . . . . sat agit, tamen habet
Bene et pudice eductam et artis“ cet.

Arusianus [p. 510, 13] scripsit: „etsi is quoque suarum rerum sat agit", ita ut hoc testimonio magis Wagneri et Fleckeiseni conjectura probetur, quam Bentlei et Umpfenbachii scriptura.

Heaut. IV., 2, 6:

Umpfenbachius suorum codicum auctoritati parens eorum lectionem in textum recepit:

„Crucior bolum tantúm mihi ereptum tam desubito ex faucibus".

Bentleius, quem Fleckeisenus et Wagnerus secuti sunt, ex duobus codicibus nobis ignotis scripsit:

„Crucior, bolum mihi tántum ereptum tam desubito ex faucibus".

Quod praeferendum videtur; nam et ictus aptius priori quam alteri syllabae vocis „tantum" imponitur et ipsa scriptura Arusiani testimonio [p. 468, 15] confirmatur.

Ad. II., 3, 9: „qui ignominia sibi post putarit": praebet A. — Donatus et R. C.: „quin omnia" cet. — D.G.: „qui omnia" cet.

Arus.: [p. 502, 20] „qui in omnia . . . post putarit".

Umpfenbachius et Fleckeisenus Bembinum secuti scripserunt sic:

„Sp. Quid est? — Ct. Quid sit? illius opera, Syre, nunc vivo, festivum caput,
Qui ignominias sibi post putavit esse prae meo commodo,
Maledicta, famam, meum laborem et peccatum in se transtulit".

Bentleius et Spengelius cum codd. P. et C. atque Donato praetulerunt:

„quin[e] omnia sibi" cet.

Quae scriptura vera et per se aptissima est et illo Arusiani „qui in omnia" comprobatur; librarius enim codicis Parrhasii sine dubio in archetypo legit „quin omnia", quod errore mutatum est in „qui in omnia". — Praeterea verisimile est

archetypum Bembini eandem lectionem atque codicem Neapolitanum exhibuisse, unde illud „qui ignominia“ profectum est. — Dziatzko autem conjecit, „qui cum omnia“, quod magis se accommodaret lectioni Bembini codicis. Sed hoc mihi nequaquam videtur; praeterea autem Dziatzkonis conjectura supervacanea est.

Jam editores contra omnes libros scripserunt „postputavit“ pro „postputarit“, cum Lindemanni editio hanc Arusiani lectionem praeberet. Sed codex Parrhasii exhibet „postputarit“; „postputavit“ igitur Arusiani testimonio non probatur.

Ad. III., 2, 18:

A.: „Sublimem medium primum arriperem et capite in terra stuerem“.

rell.: „Sublimem medium arriperem et capite primum in terram statuerem“.

Praeter Bentleium et Umpfenbachium omnes editores praetulerunt adverbium [1]) „sublimen“. Sed hoc in medio relinquamus; id autem moneo Fleckeiseni verba, quae extant in annal. phil. vol. 77 p. 184 adnot., non probanda esse:

„Und zwar „sublimen“ nicht etwa aus blosser Conjectur von mir in den Text gesetzt, sondern beglaubigt . . . . durch den Grammatiker Arusianus Messus S. 395 der röm. Ausgabe des Fronto von A. Mai, welcher letztere ausdrücklich anmerkt: „codices duo: sublimen“.

Sed codex Neapolitanus, sicut omnes codd. Terentiani, praebet „sublimem“ [cf. Keil p. 511, 14]; Fleckeiseni igitur conjectura Arusiani codicum autoritate non firmatur.

Ad. III., 2, 22:

A. et omnes editores:

„Sed cesso eram hoc malo impertiri propere“.

rell. codd. et Arus. [p. 481, 3]: „impertire“.

---

[1]) cf. Rh Mus. 1850 p. 556. — Ritschelii opuscula II., p. 462. — Ribbeckius, „Jahrb. f. Philol.“ vol. 77 p. 184.

Sed cum ante Ciceronis[1]) aetatem apud scriptores latinos deponens „impertiri“ nusquam nisi hic in codice Bembino inveniatur, sane dubitari potest, num Bembini auctoritati recte tantum tribuamus, praesertim cum altero quodam loco Terentium activa illius verbi forma usum esse constet, Eun. II., 2, 39:

„— Plurima salute Parmenonem
Summum suum impertit Gnatho“.

[1]) cf. Neue: „Lat. Formenlehre“ II.[2] p. 311.

II.

Quo tempore Terenti Adelphoe primum acta sit.

Wilmannsius[1]) primus ostendere studuit, Adelphos jam ante a. 594, quo tempore fabulam actam esse ex didascalia intellegi potest, in scenam datam esse; ad quam priorem actionem pertinere fabulae prologum. — Hanc Wilmannsii sententiam olim probavit Dziatzko[2]) eumque secutus est Paeckelmannus[3]); sed quod alteram quaestionem, quo tempore haec prima Adelphon actio facta esset, viri docti adhuc non satis probabiliter solvisse videntur, dubitatio relicta est, num omnino illa Wilmannsii sententia probanda sit.

Qua re non inutile esse putavi rem denuo pertractare, ut alia argumentandi via inita illam quaestionem persolverem.

Wilmannsius igitur propterea potissimum putabat, Adelphos jam ante a. 594 primum esse actam, quod fabulae prologus a poëta aliquanto lenius scriptus esset quam posteriorum fabularum prologi, ita ut non ad actionem illam a. u. c. 594, penultimam omnium, quae Terentio vivo factae sunt, sed ad priorem quandam pertineret. — Quod argumentum Guil. Wagnerus[4]) sic ad irritum redigere studet: „in Adelphon prologo Terentium multo demissius locutum esse, quam Eunucho et Phormione antea prospere peractis exspectares, quod Hecyra, quae eisdem ludis funebribus paulo ante Adelphos in scenam data esset, iterum spectatoribus non probata esset, ut in prima actione a. 589 facta". — Sed qui fieri potuit, ut Terentius

[1]) Dissert. phil. Berol 1864: „de didascaliis Terentianis" p. 49 sq.

[2]) Rh. Mus XXI. p. 79 sq. — cf. praef. Adelph. 1881 p. 16.

[3]) Dissert. phil. Hal. 1875: „de ordine P. Terenti fabularum".

[4]) „Jahrb. f. Philol." 1865 p. 290.

Hecyra non peracta tam brevi spatio ante Adelphon actionem novum prologum scriberet? Nam ludi funebres videntur celebrati esse per paucos dies, atque haud scio an unus dies ad fabulas agendas destinatus sit.[1]) — Sed si nihilo minus prologum illum ad alteram actionem pertinere putamus, mirum videtur, nullo prologi loco Hecyram paulo ante exactam commemorari, velut in Andriae et Phormionis prologis.

Praeterea Wagnerus contra Wilmannsii sententiam disputat haec: Adelphon prol. v. 22 sq.: „dehinc ne exspectetis argumentum fabulae“ cet. poëtam irrisisse adversarios, qui antea in Phormionis actione illum objurgavissent, quod argumenta fabularum in prologis narrare nequiret, velut in Phormionis prol. v. 13 sq.:

„Nunc si quis est, qui hoc dicat aut sic cogitet:
Vetus si poëta non lacessisset prior,
Nullum invenire prologum posset novos“ cet.

Inde apparere, Adelphon prologum esse scriptum post Phormionem“. — Sed parum verisimile est, Terentium quem in prologis semper palam atque aperte cum adversariis pugnare videmus, ita ut spectatorum arbitrio utatur, hic tecta verba fecisse, quae spectatores intellegere vix potuerunt.

Praeterea nescio, cur Terentius adversarios non tum etiam irriserit, cum Hecyra iterum agebatur, quam actionem Wagnerus ipse ante alteram Adelphon collocat. Quamquam enim Hecyrae prologus prior mancus est, tamen poëtam hoc in prologo adversarios sic, ut in Adelphon prologo, ludibrio non habuisse manifestum est; nam certe Terentius easdem cavillationes tam brevi spatio intermisso non iteravit.

---

[1]) Livius XLI., 28 narrat haec: „Munera gladiatorum eo anno [scil. a. u. c. 578] aliquot, parva alia data: unum ante cetera insigne fuit T. Flaminini, quod mortis causa patris sui cum visceratione epuloque et ludis scenicis quadriduum dedit. Magni tamen muneris ea summa fuit, ut per triduum quattuor et septuaginta homines pugnarint“. — Verisimile igitur est Flamininum ludis scenicis unum, spectaculis gladiatoriis tres dies dedisse. Praeterea inde colligi potest, etiam ludos funebres L. Aemilii Pauli sedecim annis post vix per plures dies celebratos esse et unum modo diem fortasse ad fabulas agendas destinatum fuisse.

Huc accedit, quod illi Adelphon prol. versus [22/23] tam similes sunt versibus Plautinis, qui extant in Trinummi prologo, ut interpolati esse videantur.[1])

Postremum Bosse[2]) Wilmannsio opponit, „vix verisimile esse L. Aemilii Pauli filios patris ludis funebribus sane splendidis duas fabulas agendas curasse, quarum altera jam exacta, altera autem non nova esset". — Sed nescio an Scipio Africanus, Terenti familiaris, alter ludorum curator, Terentianas potissimum fabulas, etsi non novas, in scenam dari jusserit; tum autem nova fabula novem dierum spatio inter mortem Aemilii Pauli et ludos funebres interposito filiis parata vix esse poterat.

Quaecum ita sint, apparet ea, quae a Wagnero et Bossio opponuntur, nullius momenti esse; sed accedit etiam aliud quiddam, quo Wilmannsii sententia probetur. — Adelphon enim prologus propterea inter priorem et alterum Hecyrae prologum poni non potest, quod in illis prologis Luscii[3]) aliorumque adversariorum probra nequaquam commemorantur, in Adelphon autem prologo, ut in reliquis, etiam graviter se defendit poëta[4]); ex verbis enim alterius Hecyrae prologi, v. 46 scriptis, concludere non possumus, Terentium ante illam Hecyrae actionem ab adversariis irrisum esse.

Quapropter putandum est Luscium in altera et tertia Hecyrae actione jam destitisse Terentium objurgare; sed tum Adelphon prologus illis temporibus vix pronuntiatus est.

Nunc quaeramus, quo tempore hanc fabulam primum actam esse verisimile sit; nam certi quicquam de illa re statui

---

[1]) Ter. Adelph. prol. vv. 22/23:

„Dehinc ne exspectetis argumentum fabulae:
Senes, qui primi venient, ei partem aperient,
In agendo partem ostendent".

Plaut. Trinummi prol. vv. 16/17:

„Sed de argumento ne exspectetis fabulae:
Senes, qui huc venient, i rem vobis aperient".

cf. Liebig: „de prol. Terent. et Plaut." — Goerl. 1859, p. 17.

[2]) Diss. Lips. 1874: „Quaest. Terentianae" p. 13.

[3]) A maledictis Luscii Lanuvini, „veteris malevoli poëtae", Terentius omnibus in prologis praeter illos ad Hecyrae actiones conscriptos se defendit.

[4]) Hac de quaestione infra [cf. p. 53] accuratius disseram.

non potest. — Wilmannsius igitur Adelphon primam actionem fuisse arbitrabatur inter Hecyrae primam et Heautontimorumeni actionem, Paeckelmannus autem inter Andriae et Hecyrae actionem. Donatus enim in Adelphon praefatione haec dicit: „Haec sane acta est ludis funebribus L. Aemilii Pauli". Aliis deinde adnotationibus interpositis haec sequuntur: „Hanc dicunt ex Terentianis secundo loco actam, etiam tum rudi nomine poëtae, itaque sic pronuntiatam: „Adelphoe Terenti", non „Terenti Adelphoe": quod adhuc magis de fabulae nomine poëta, quam de poëtae nomine fabula commendabatur". Quae verba Wilmannsius et Paeckelmannus perverse interpretantur, illud „secundo loco actam" referentes ad priorem fabulae actionem postquam Andria prima in scenam data est.[1])

Sed Wagnerus [annal. philolog. 1865 p. 289/90] et Bosse [p. 5 sq.] demonstraverunt, illud „secundo loco" spectare ad ordinem alphabeticum in fabulis collocandis adhibitum, qui etiam in Donati commentario et codice Victoriano et Decurtato extaret: „Andria, Adelphoe, Eunuchus, Formio, Heautontimorumenus, Hecyra".[2])

Sed utut haec res se habet, certe verba Donati non spectant ad primam illam Adelphon actionem a Wilmannsio et Paeckelmanno constitutam. Nam satis probabiliter Bosse [p. 9 sqq.] ostendit, „Donatum in didascaliis Adelphos non pro secunda fabula numeratam invenisse, ipsum autem hanc sententiam, cum eam falsa argumentatione commotus probaret, non

[1]) Wilmannsius existimabat, Adelphos primum in scenam esse datam post primam Hecyrae actionem; quamquam autem tum Adelphoe non secundum, sed tertium locum obtinet, Andria et Hecyra antea actis, tamen etiam hoc excusari potest; Wilmannsio enim Hecyra a. 589 exacta in ordinem actionum Terentio vivo factarum non recepta videtur esse.

[2]) Fortasse tamen Donati verba etiam de altera illa Adelphon actione, de qua grammaticus in fabulae praefatione disserit, intellegenda et ad ordinem fabularum tum actarum referenda sunt, ut haec significent: „Ludis funebribus L. Aemilii Pauli ex Terentianis fabulis, quae tunc in scenam dabantur, scilicet Hecyra et Adelphoe, acta est Adelphoe secundo loco, Hecyra primo". — Tum Pseudodonatus illa verba de tituli pronuntiatione inseruit; quae sumpsit ex alio Donati loco, qui extat in fragm. de trag. et com. [p. XVIII. ed. Klotz].

nisi dubitanter attulisse". — Scripsit enim Donatus: „hanc **dicunt** secundo loco actam".

Sed ex Adelphon etiam prologi argumento intellegi potest huius fabulae primam actionem non collocandam esse ante Heautontimorumenum. Nam si eam sententiam sequimur, non intellegitur, qua de causa Ambivius Turpio, dominus gregis, ante Heautontimorumeni demum actionem prologi partes susceperit, quippe quas in Adelphis multo aptius suscepisset. Ex Heautontimorumeni enim prologo dilucide apparet Ambivium has partes, quas alius actor adulescens suscipere solebat, propterea suscepisse, quod Hecyra paulo ante [a. 589] exacta neque populo probata erat, Ambivius autem ipse poëtam in populi gratiam restituere studebat. — Quodsi Adelphoe inter Hecyram et Heautontimorumenum acta esset, Ambivio sine dubio prologi partes ante Adelphon actionem suscipiendae erant.

Praeterea Adelphon prologus inter Andriae et Heautontimorumeni prologum ea de causa non ponendus est, quod in illis prologis Terentius illud, quod adversarii reprehendebant, eum fabulas contaminasse refutat, in nostro autem prologo se defendit a nova accusatione, quod furtum commisisset; quamquam illud contaminandi convicium in hac fabula, minime integra, multo minus praetermittendum ei erat, quam in Heautontimorumeno, fabula non contaminata, ubi tamen de contaminatione multa verba facit. — Inde colligi potest, Andriae quidem et Heautontimorumeni prologos eisdem fere temporibus scriptos esse, tum cum Luscius poëtam propter contaminationem fabularum vituperabat, Adelphon autem prologum posteriore quodam tempore.

Eadem causa prohibemur, ne cum Paeckelmanno Adelphos ante Hecyrae primam actionem ponamus. Sed quo tempore fabula primum acta est? Ni fallor, inter Heautontimorumenum et Eunuchum, quod demonstrare nunc studebo. Itaque eae fabulae eisdem fere temporibus actae esse putandae sunt, quarum in prologis poëta ab eodem Luscii probro se defendit. Nam ut ex convicio illo, quod et in Andriae et in Heautontimorumeni prologo invenitur, concludi potuit, has fabulas actas esse haud longo temporis spatio interposito, sic etiam statuendum est Heautontimorumenum et Adelphos in scenam datas esse unam

paulo post alteram, quod in earum prologis poëtam se a probro illo defendere videmus, quod a Scipione, Laelio, aliis amicis in fabulis componendis adjutus sit. Nam idem maledictum invenitur et in Heautont. prol. v. 22 sq.:

„Tum quod malivolus vetus poëta dictitat,
Repente ad studium hunc se adplicasse musicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura sua:
Arbitrium vostrum, vostra existumatio
Valebit — — —.“

et in Adelph. prol. v. 15 sq.:

„Nam quod isti dicunt malivoli, homines nobilis
Eum adjutare adsidueque una scribere,
Quod illi maledictum vemens esse existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam, quom illis placet,
Qui vobis universis et populo placent,
Quorum opera in bello, in otio, in negotio
Suo quisque tempore usust sine superbia“.

Mirum profecto esset, si poëta isto probro ante Heautontimorumeni actionem a Luscio lacessitus et trium annorum spatio intermisso [a. 594] in Adelphon actione iterum vexatus esset. Apparet igitur Adelphos paulo post[1]) Heautontimorumenum actam esse; nam illam fabulam ante Heautontimorumenum in scenam non datam esse jam supra demonstravimus.

Sed accedit etiam aliud quiddam, quo nostra sententia probetur; videmus enim poëtam ab eodem Luscii maledicto, nempe se furtum fecisse, in Adelphon et in Eunuchi prologo se defendere; hoc elucet ex Adelph. prol. vv. 13/14:

— „Perncscite,
Furtumne factum existumetis an locum
Reprensum, qui praeteritus neglegentiast“.

et ex Eun. prol. v. 20 sq.:

---

[1]) Contra hanc sententiam P. attulit illud, quod legitur prol. Heaut. v. 22: „Tum quod malivolus poëta dictitat“. Illud „dictitare“ enim demonstrare illam accusationem jam antea saepius a Luscio prolatam esse. — Sed primum quidum verbum „dictitare“ non semper habet sententiam frequentativam; deinde etiamsi illud concedimus nondum sequitur, Adelphos ante Heautont. ponendam esse.

„Exclamat furem, non poëtam fabulam
Dedisse et nil dedisse verborum tamen:
Colacem ese Naevi et Plauti, veterem fabulam,
Parasiti personam inde ablatam et militis“.

Quapropter longum temporis spatium etiam inter Eunuchi et Adelphon actiones fuisse nequit.[1]) Quae cum ita sint, nihil restat, quam ut Adelphon primam actionem ponamus inter Heautontimorumeni et Eunuchi actiones, i. e. a. 592.

Itaque rerum ad poëtarum rixam pertinentium ordo ex tali fabularum ordine sumptus sane probabilis est. Videmus enim ex Andriae prologo, Luscium, cum fabula illa ageretur, Terentium vituperasse, quod comoedias contaminavisset, tum ex Heautontimorumeni prologo [v. 16] illum iterasse probrum suum, quamquam ipsius fabulae, quae quidem contaminata non erat, actione vituperandi occasio non erat data. In eiusdem autem fabulae actione Terentium etiam alio maledicto vexavit, nempe ab amicis eum in fabulis componendis adjutum esse, quod quidem convicium itidem in Adelphis, fabula insequenti, iteravit; praeterea autem furti, tertii[2]) cuiusdam opprobrii, accusavit illum, quam criminationem, sicut antea primam et alteram, iteravit in Eunuchi actione et ridicule sufflavit. — Hunc rerum ordinem non dubito pro vero accipere.

Restat, ut quaeramus, quid didascaliae et Donati praefationes praebeant. — Ac primum quidem fabularum ordinem, qui extat in didascaliis et in Donati adnotationibus de consulibus, de ludis, de aliis rebus, Dziatzkone[3]) autore componamus:

---

[1]) Bosse opponit p. 16: „Terentium in Adelphon prologo omnino non negasse, se furtum fecisse, nisi hoc jam ei crimini datum esset, nisi similem accusationem timuisset. Quam ob rem Adelphos post Eunuchum demum actam esse „debere“; nam Adelph. prol. vv. 13/14 respicere accusationem in Eunuchi prologo nobis oblatam, nempe furtum factum esse a Terentio“. — Sed mihi quidem etiam ex contrario Eunuchi prol. vv. 20 sq. respicere posse videntur accusationem in Adelph. prol. vv. 13/14 a poëta refutatam.

[2]) Furto non prorsus idem significari vult poëta atque contaminatione; nam contaminatio dicitur de fabula latina ex compluribus graecis composita, furtum de personis, quae ex priorum poëtarum Romanorum fabulis sumptae et in novam fabulam translatae sunt. [cf. Ad. prol. v. 13 sq. et Eun. prol. v. 2).]

[3]) Rh. Mus. XXI. p. 84—86.

Andria, Hecyra I., Heautontimorumenus, Eunuchus, Phormio, Hecyra II., Adelphoe, Hecyra III.

Deinde si numeros sequimur, qui verbis „facta est“ in didascaliis additi sunt, hunc ordinem statuere possumus:

I. Andria; II. Eunuchus; III. Heautontimorumenus; IV. Phormio; V. Hecyra; VI. Adelphoe.

Alium ordinem Donatus novisse videtur, cum Andriae primum, Eunucho tertium, Phormioni quartum, Hecyrae quintum numerum in praefationibus addit, alius quoque ordo apparet ex Volcatii Sedigiti versu in vita Terenti nobis servato:

„Simitur Hecura sexta exclusa est fabula.“

Videmus igitur neque in didascaliis neque in Donati praefationibus certa indicia vel vestigia, ex quibus intellegatur, veteres illos gramaticos, unde profectae sunt nostrae didascaliae, aliquid compertum habuisse de priore quadam Adelphon actione. Sed hoc non magni momenti est. Nam in Hecyrae didascalia verbis „facta est“ numerus V. additus est, ratione nimirum alterius actionis habita, quamquam etiam numerum II. et VI. vel optimo jure potius II. exspectare debemus; tum Eunuchi didascalia, quamquam hanc fabulam a. u. c. 593, duobus annis post Heautontimorumenum, actam esse, ita, ut numerus IV. addendus esset, ex consulum nominibus cognoscitur, tamen numerum II. praebet; Heautontimorumenum postremum tertiam esse factam didascalia tradit, quem quidem numerum Donatus Eunucho tribuit. — Quid igitur? Nonne sine ulla dubitatione quoque numerum VI. Adelphon titulo additum ratione carere arbitrabimur? Nonne putabimus a grammaticis errore quodam alteram modo Adelphon actionem in libros esse relatam, primam esse praetermissam? Atque haud scio an demonstrari possit, unde hic error grammaticorum exortus sit: Nam a. u. c. 592, quo Adelphos primum actam esse verisimile est, consules erant P. Cornelius Scipio Nasica, C. Marcius Figulus.[1]) — Jam vero etiam alteri consuli anni 594 nomen

---

[1]) Hi consules, qui vitio facti erant, jam in provincias profecti magistratu se abdicarunt, et suffecti sunt P. Cornelius Lentulus, Cn. Domitius Ahenobarbus [cf. Cic. de Nat. Deor. II. 4; de Div. II. 35. — Valer Max. I., 1, 3]. Fortasse jam errore quodam, ex vitio illo orto, factum est, ut Adelphon didascalia, quae ad huius anni actionem pertineret, privaremur.

est Cornelio, nempe M. Cornelio Cethego. Quid? Quod alteri quoque curatori ludorum funebrium nomen est P. Cornelio Scipioni Africano? Itaque facile fieri potuit, ut tanta nominum similitudine ambarum actionum tituli miscerentur atque turbarentur.[1]) Huc accedit, quod alteri consuli a. 592 nomen erat C. Marcio Figulo, alteri autem aedili curuli a. 594 L. Marcio, quod cognoscitur ex Hecyrae didascalia.[2])

Sic igitur fortasse error factus est: Arbitrabantur enim grammatici, cum unam didascaliam a. 592 ad alteram a. 594 ascriptam legerent, nomen P. Cornelii Scipionis [Nasicae] esse duplicatum ex P. Cornelio Scipione [Africano], alterum autem consulem a. 592, C. Marcium Figulum, putabant esse aedilem curulem a. 594, L. Marcium. Quo fiebat, ut nomen P. Cornelii Scipionis Nasicae, quod esset duplicatum, et nomen C. Marcii Figuli, quod esset L. Marcius, aedilis curulis a. 594, ideoque ludos funebres L. Aemilii Pauli celebrandos non curasset,[3]) ex didascalia extinguerentur neque ulla vestigia primae Adelphon actionis relinquerentur. — Nam alter Adelphon prologus, quo nescio an grammatici commoveri potuerint, ut hanc fabulam bis in scenam datam esse nobis traderent, a Terentio omnino non scriptus est.

Saepius autem factum est, ut veteres illi grammatici, qui sine ullo discrimine non modo commentarios magistratuum, sed alios etiam fontes, quamvis tenues atque leves. adhiberent, complures actiones in unam confunderent.

Verisimile igitur est, Adelphos primum esse actam a. u. c. 592; quo spectat fabulae prologus. — Relata autem est fabula a. u. c. 594 eisdem ludis funebribus, quibus Hecyra iterum non peracta est.

Non nego hanc sententiam a me prolatam dubitatione non prorsus vacare. Sed cum fieri non possit, ut Adelphon

---

[1]) Hoc eo facilius fieri potuit, quod in didascaliis Terentianis consulum nomina non perscripta esse solent; omissa enim sunt aut nomina gentilicia aut cognomina.

[2]) cf. Rh. Mus. XXI., p. 73.

[3]) Aediles curules modo ludos publicos, non privatos celebrandos curabant.

prologus ad actionem a. 594 factam pertineat; cum porro perspicuum sit, hanc actionem, ad quam noster prologus spectaret, non ante Heautontimorumenum factam fuisse, vix aliud quicquam relinquitur, quam ut illam actionem post Heautontimorumenum et ante Eunuchum ponamus; quod eo magis probatur, quod nulla Terenti fabula nisi haec a. 592 acta est.

III.

Hecyrae prologos ab Ambivio Turpione esse conscriptos.

Cum iis, quae in altera dissertationis parte disputavimus, conjuncta est haec quaestionis pars, ut Hecyrae prologos non esse ab ipso poëta scriptos demonstremus.

Franciscus Guyetus[1]) in commentario ad Terenti comoedias primus hanc pronuntiavit sententiam Hecyrae prologum priorem a Terentio non esse conscriptum, alterum autem „a quopiam otioso grammatico e priore illo effictum et amplificatum“;, quamquam argumentis illam sententiam omnino non confirmavit. Westerhovius Faernum secutus, ut prologos a Guyeti suspicionibus defenderet, monuit et Donatum duos prologos legisse et in hac potissimum fabula, quae populo in prima actione non probata esset, omnino necessarios fuisse prologos.

Postea Wilmannsius in sententiis controversis dissertationis „de didascaliis Terentianis“ posuit hanc: „Hecyrae prologus alter a Terentio conscriptus esse non videtur.“

Jam si quaerimus quid de Guyeti sententia judicandum sit, illud apparet, Hecyrae prologos non „ab otioso grammatico effictos“, sed eisdem temporibus scriptos esse, quibus fabula ipsa scripta est. Quamquam enim haud pauca inveniemus, quae a Terenti usu loquendi recedant, tamen tota duorum prologorum elocutio nobis persuadebit eos scriptos esse ab homine quodam et Terenti aequali et illius scribendi rationis haud ignaro. Quaecum ita sint, per se magnam habet speciem probabilitatis, hosce prologos ab Ambivio Turpione, quem Terenti fabulas egisse constat, conscriptos esse. Nam quod Westerhovius contra Guyetum monuit, Hecyrae potissimum actionibus prologos tribuendos esse, refellitur, cum illi prologi, ut nobis videtur, a Terentio quidem non facti, sed certe ante fabulae ipsius actiones pronuntiati sint.

---

[1]) pp. 269/70.

Praeterea autem facile intellegitur, qui factum sit, ut hi prologi et in omnibus libris manuscriptis et in Donati commentario servarentur; nam verisimillimum est Ambivium prologos a semet ipso conscriptos in exemplaria scenica recepisse; libros autem manuscriptos, qui Terenti et Plauti comoedias exhibent, ductos esse ex exemplaribus scenicis inter omnes constat.

Sed jam argumenta, quibus haec sententia comprobetur, enumeremus. — Illud autem sane dolendum est, quod codicis Bembini auctoritate non adjuvamur, in quo duo de quadraginta versus primi prologorum uno folio amisso non jam leguntur. — Jam in primo prioris prologi versu, quem omnes codices et Donatus et Arusianus Messius sic exhibent:

„Hecyra est huic nomen fabulae: haec cum datast."

offendit hiatus, qui sane a Terenti arte prorsus alienus est; nam haec licentia a poëta tam angustis finibus circumscripta est, ut gravior interpunctio post vocem „fabulae" nullius momenti sit ad hiatum excusandum. — Sed ne conjecturas ab editoribus ad tollendum hiatum propositas enumerem, Ambivio eam licentiam condonandam esse puto.

Sequuntur haec:

„Nová, novum intervenit vitium et calamitas."

In his quoque codicum scripturam mutaverunt editores, quod nullum exemplum in Terentianis fabulis invenitur, quo „a" in nominativo singulari declinationis primae a poëta pro longa syllaba adhibitum esse probetur. Qua de causa Bentleius scripsit „nova ei", quod Fleckeisenus in textum recepit; Amdohrius [1] mavult: „nova novum ita intervenit" cet.; Umpfenbachius [progr. Mogunt. 1874]: „nova, novo modo intervenit" cet.

Quamquam autem per se haud improbabiles sint eae conjecturae, tamen facere non possumus, quin scripturam a libris manuscriptis servatam retineamus. Nam ultimam syllabam nominativi singularis declinationis primae olim longam fuisse constat; tum autem negari vix potest etiam Plautum,[2] etsi

[1]) Diss. phil. Gotting. 1873 p. 6.

[2]) cf. Corssen: „Über Aussprache, Vocalismus und Betonung der lat. Sprache" II. p. 488 sq.

admodum raro, hanc formam syllabae „a“ productam usurpasse. Caecilium Statium igitur, qui medium quasi locum inter Plautum et Terentium obtinet, hunc usum recepisse haud improbabile est. Cum autem praeterea ex altero Hecyrae prologo intellegamus, Ambivium Turpionem „adulescentiorem“ Caecilii Statii fabulas egisse, eundem quoque senem eiusmodi pristinas formas non repudiasse possumus existumare. Itaque hic quoque versus aliquid valet ad confirmandam nostram sententiam.

Jam videamus versus 6—8:

„Et is qui scripsit hanc ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum posset vendere,
— — — — — — — — — — — — —
Alias cognostis eius: quaeso hanc noscite.“

Post versum 7 hunc prologum mancum esse jam Ihnius[1]) vidit. Sed cum versus, qui antecedunt, non recte intellexisset, lacunam perverse explevit. Nam versus 6 et 7 sic interpretatus est: „hanc ob eam rem noluit“ cet. idem significare ac: „non ob eam rem voluit iterum referre, ut iterum posset vendere, sed . . . . . .“ At Dziatzko[2]) recte adnotat „ob eam rem noluit“ pro „non ob eam rem voluit“ latine dici non posse; immo poëta, ut ait Dziatzko, profecto „avarus“ hoc loco describitur, ut jam Donatus interpretatus est.

Sed de lacuna explenda non consentio cum Dziatzkone, qui cum putet Terentium ante a. 594 fabulam olim exactam noluisse in scenam dari, ut iterum venderet, eo ipso anno autem P. Cornelio Scipioni, L. Aemilii Pauli filio, poëtae amicissimo, eam non vendidisse quidem, sed ludis funebribus agendam permisisse, haec fere post versum 7 scripta fuisse existimat.

Sed primum quidem illud parum verisimile est, ludis illis funebribus, quos splendidos fuisse scimus, P. Cornelium Scipionem Hecyram agendam curasse, nisi fabulam pretio suo emisset. Deinde cum Hecyra sex annis ante primum acta esset, sane mirum erat, quod poëta fabulam ante hunc annum 594 non vendidit.

---

[1]) Quaest. Terent. Bonn 1843 sentent. contr. 16.

[2]) Rh. Museum XXI. p. 474.

Quaecum ita sint, post versum 7 in lacuna causam indicatam fuisse puto, qua commotus poëta Hecyram nondum iterum vendiderat. Eius rei autem duas causas esse potuisse existimo; nam aut Terentius fabulam illam antea jam exactam neque populo probatam vendere omnino non potuit, donec Scipio ludos funebres celebrandos curavit fabulamque pretio suo emit, ut Terentio gratum se praestaret, — aut poëta comoediam propterea in scenam non dedit, quod semper novas scripsit fabulas. Sed in Graeciam profectus,[1]) quod iter jam vere vel aestate a. u. c. 594 factum esse existimo, Hecyram Ambivio Turpioni agendam permisit. E quibus illud, quod primo loco posui, etiamsi verum erat, tamen hoc loco dici non potuisse apparet; sed verisimillimum est, alteram causam post versum 7 scriptam fuisse. Quapropter lacunam sic fere explendam esse censeo:

„Sed álias semper scrípsit, hanc non véndidit;
In Graéciam nunc ábiit suamque fábulam
Intérea nostri dómini commisít fide.“

Sed quam ob rem Terentium jam vere vel aestate a. u. c. 594 in Graeciam profectum esse existimem, non auctumno eiusdem anni, ut adhuc viri docti judicabant, infra demonstrabo. Nunc illud unum addam: ultimus quoque huius prologi versus: „alias cognostis eius, quaeso hanc noscite“ ad Terenti iter in Graeciam jam factum spectare videtur. Nam si actor spectatores alloquitur: „alias fabulas Terentianas cognostis; restat una modo Hecyra adhuc non cognita,“ — illis verbis hoc dici videtur, populum ad tempus novas fabulas Terentianas praeter Hecyram non spectaturum esse. Quod tum modo jure dici poterat, si Terentius jam in Graeciam profectus erat; quamquam hoc pro certo eius rei argumento haberi nolo.

Jam post versus illos aptissime ponuntur Heautontimorumeni prol. versus 7, 8, 9, quos hic inserendos esse suspicatus est Dziatzko[2]):

---

[1]) cf. „vita Suetoniana“ p. 32 ed. Reifferscheid.

[2]) „De prol. Terent. et Plaut. quaest. sel.“ Bonn. 1863 p. 5—12.

„Novam esse ostendi et quae esset: nunc qui scripserit,
Et quoia Graeca sit, ni partem maximam
Existumarem scire vostrum, id dicerem.“

Sed his sex versibus totum prologum nondum restitutum esse nemo non videt; nam prologi versus ultimus cum iis, qui antecedunt, non cohaeret. Quamquam autem lacuna vix prorsus expleri potest, tamen quinque versus inveni, quos huc transponendos esse persuasum mihi est, nempe ultimos Phormionis prologi versus:

„Date operam, adeste aequo animo per silentium,
Ne simili utamur fortuna atque usi sumus,
Cum per tumultum noster grex motus locost:
Quem actoris virtus nobis restituit locum
Bonitasque vostra adjutans atque aequanimitas.“

Ac primum quidem dilucide apparet hos versus spectare ad primam Hecyrae actionem, quam neque probatam neque finitam esse satis intellegitur ex nostris prologis.

Deinde nescio an Terentiani[1]) non sint illi Phormionis prologi versus; poëta enim nusquam tam verbose, quam hic fit, de Hecyrae calamitate loquitur, quam in prologis aut silentio praeterire aut strictim attingere solet, ita ut propter causas maxime perspicuas huius rei commemorationem consulto evitasse videatur.[2]) Tum autem illi versus in fine Phormionis prologi multas propter causas tolerari nequeunt; quod etiam Willmannsius [p. 22 sq.] sensisse videtur, qui cum putaret Terentium in prologo Phormionis vix mentionem fecisse Hecyrae quattuor annis ante exactae, conjecit Hecyram post Eunuchum denuo actam esse. Quam conjecturam non probandam esse jam complures viri docti[3]) demonstraverunt. Praeterea intellegi omnino nequit,

---

[1]) Jam Guyetus dubitat, num hi versus a Terentio scripti sint.

[2]) Praeterea animadvertendum est, vocem „bonitas“ nusquam nisi hoc loco apud Terentium inveniri; ne illa quidem constructio „similis atque“ apud nostrum poëtam extat.

[3]) Rh. Mus. XXI. p. 74.

qua de causa poëta tam supplicibus verbis usus sit in Phormionis prologo, quamquam Eunuchus, paucis mensibus ante Phormionem acta, populo adeo placuerat, ut bis in scenam daretur. Denique totus Phormionis prologus tam confidenter conscriptus est, ut versus illi non bene huic addantur; optime potius sic finitur [v. 27 sq.]:

„Quia primas partis, qui aget, is erit Phormio
Parasitus, per quem res geretur maxume,
Voluntas vostra si ad poëtam accesserit.“

At hos quinque versus, quibus de Hecyrae calamitate agitur, nusquam rectius pronuntiari potuisse quam in illo prologo, qui scriptus erat ad alteram huius fabulae actionem, certum est. Quapropter hos versus in nostrum prologum transcribendos esse censeo; quamquam lacuna ne sic quidem expleta est.[1]) Nam si hos versus post versum „alias — noscite“ collocamus, nescio an inter hunc versum et eos, qui antecedunt, unus vel complures versus exciderint. — Sed jam prologum, quoad fieri potest, restitutum describam:

— — „Nunc haec planest pro nova:
Et is qui scripsit hanc ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum posset vendere.
Sed alias semper scripsit, hanc non vendidit;
In Graeciam nunc abiit suamque fabulam
Interea nostri domini commisit fide. —
Novam esse ostendi et quae esset: nunc qui scripserit,
Et quoia Graeca sit, ni partem maxumam
Existumarem scire vostrum, id dicerem.
? — — — — — — — — — — — — —
Alias cognostis eius: quaeso hanc noscite;
Date operam, adeste aequo animo per silentium,
Ne simili utamur fortuna atque usi sumus,
Cum per tumultum noster grex motus locost;
Quem actoris virtus nobis restituit locum
Bonitasque vostra adjutans atque aequanimitas.“

[1]) cf. Umpfenb. praefat. p. VIII.

Sed a proposito aliquantum aberravimus; nunc ad rem redeamus. Demonstrare enim studui Hecyrae prologum priorem ab Ambivio Turpione conscriptum esse; qui quamquam valde truncatus est, tamen quoad fieri potest, me perfecisse id, quod volui, existimo.

Sed si quis sententiam antea a me prolatam, Adelphos jam ante a. u. c. 594 primum actam esse, non probat, etiam hanc facere non potest quin rejiciat; nam si re vera Adelphoe a. 594 ludis funebribus L. Aemilii Pauli primum acta est, sequitur, ut Hecyrae prologus prior a Terentio scriptus sit, cum hanc fabulam eisdem ludis funebribus ante Adelphos in scenam datam esse negari nequeat.

Sed jam ad alterum prologum progrediamur. Ac primum quidem videamus, quid in ipsis verbis eius prologi insit, quod aliquam offensionem praebeat. Extant haud pauca verba, quae in Terentianis fabulis praeterea non inveniuntur. Quamquam autem non puto, his argumentis solis quicquam effici posse, quo mea sententia probetur, tamen ea prorsus praetermittenda mihi non videntur; nam magnus illorum verborum numerus, qui invenitur in tam paucis versibus [49 vv.], sane aptus videtur esse, qui dubitationem de prologi auctore moveat:

v. 2 exorator; v. 3 adulescentior; v. 4 inveterasco, quod primum apud Lucretium invenitur; v. 5 evanesco, a Varrone et Lucretio demum adhibitum; v. 14 removeo; v. 23 intellegentia; v. 26 eodem; v. 26 exspectatio; v. 26 funambulus; v. 27 conventus; v. 27 strepitus; v. 31 actus; v. 32 convolo; v. 37 condecoro; v. 37 scenicus; v. 39 recido; v. 44 tutela; v. 46 circumvenio.

Huc accedit, quod cum hoc uno in prologo duodeviginti verba a poëta praeterea non usurpata inveniantur, omnes reliqui prologi praebent modo viginti quinque.[1])

[1]) In versuum Terentianorum summa, quae continet sex fere milia, inveni mille et ducenta verba a poëta semel modo adhibita, quae optime testantur sermonis Terentiani elegantiam. Itaque quintus quisque versus praebet unum „ἅπαξ λεγόμενον,“ ut ita dicam. Sic fere res se habet in prologis Terentianis, ubi septimus quisque versus praebet unum verbum a poëta semel usurpatum; in Hecyrae autem prologo exhibet tertius quisque versus talem vocem; quod grave argumentum mihi videtur esse.

Sed verborum etiam constructiones a Terentio alienae offendunt:

v. 1: De ablativo „ornatu prologi" Amdohrius [p. 15] adnotavit haec: „ablativus „ornatu" in nostro versu, cum hoc verbale in numero eorum sit, quae effectum actionis significant, ad illum ablativum, quem significavi [ablat. temporis et causae], referendus non est, sed ad eum, qui „modi" dicitur, quo describuntur res, quae statum quasi comitantur. [cf. Holtze, syntaxis prisc. lat. I., 176.] Cuius usus exemplum sine pronominis vel adjectivi additamento praeter hoc „ornatu" ego quidem apud scriptores latinos non inveni."

Sed quamquam talia exempla apud alios scriptores inveniri non negaverim, apud Terentium certe non inveniuntur; nam testimonia, quae Draegerus in syntaxi historica adfert [I. p. 538: Andr. 480: „periculo huius"; Heaut. 839: „moribus"] huc non pertinere perspicuum est. Praeterea, quod gravius est, Heinrichsius de ablativi apud Terentium usu et ratione [progr. Elbing. 1858 p. 27] nihil simile invenit, cum hunc ablativum modi „ornatu prologi" poneret tamquam unicum eius generis exemplum apud Terentium.

vv. 6 et 7: „In eis quas primum Caecili didici novas,
Partim sum earum exactus, partim vix steti."

Primum quidem vox „partim" pro adverbio posita apud Terentium non invenitur cum genetivo conjuncta; sed huic rei non multum tribuo, quoniam talia exempla apud alios haud pauca extant.[1]) At hoc me offendit, quod pronomen „is" sine ulla causa bis [in eis — earum] positum est.

v. 46: „ Sinite impetrare me . . . ne . . . . inrideant." Verbum impetrandi a Terentio semper fere conjungitur cum accusativo nominis; semel sequitur „ut" Andr. v. 313, ubi verbum „impetrare" artissime conjunctum est cum verbis „orare" et „supplicare".

Sed quamquam adhuc nihil fere invenimus, quo nostra sententia de Ambivio probaretur, tamen complura allata sunt, unde apparet Terentium hunc prologum non scripsisse. Graviora autem argumenta praebebit res ipsa in prologo tractata.

---

[1]) cf. Ruhnkenii dictata in Terenti comoedias p. 212.

Primum enim Hecyrae prologus etiam argumento diversus est a reliquis prologis. Nam in his poëta semper fere verba facit de semet ipso deque rerum suarum statu ac condicione, rarissime autem de actore vel de grege. In nostro autem prologo omnia sic instituta sunt, ut idem, qui prologum in scena pronuntiabat, eum etiam scripsisse videatur; nam cum poëta in reliquis prologis semper fere de se loquatur, in nostro semel modo vv. 44 et 45 commemoratur, quamquam hic prologus majorem quam ceteri praeter Heautontimorumeni prologum numerum versuum continet. Tum poëta actorem de actore vel de grege loquentem facit verbi prima persona singularis numeri aut pluralis adhibita:

In Andriae prologo . . . . semel,
in Adelphon prologo . . . . . . semel,
in Phormionis prologo . . . . . . bis
in Eunuchi prologo . . . . terties,
in Heautontimorumeni prologo, quem Ambivius quidem recitavit, sed non conscripsit, modo . . . . duodecies,
in Hecyrae autem prologo, quem idem Ambivius recitavit . . . . **duodetricies.**

Quod gravissimum indicium mihi videtur esse, Ambivium nostrum prologum non modo pronuntiasse, sed etiam conscripsisse.

Praeterea illud etiam hac re confirmatur, quod nonnulli versus ex aliis prologis, inprimis ex Heaut. prologo, sumpti et in hunc translati, quid? ex parte ad verbum transcripti inveniuntur. — Nam verisimillimum est, Ambivium, cum prologum fabulae cujusdam Terentianae conscriberet, cuius partes ipse suscepturus erat, cum ex aliis prologis tum ex Heautontimorumeni prologo, quippe quem ipse jam antea recitasset, sumpsisse, quaecumque illi placebant. — Vix enim jam quisquam Bentleio assentietur, qui Terentium semet ipsum suppilasse putabat.[1]) Sed jam liceat locos ex aliis prologis sumptos et in nostrum translatos proponere:

Hec. prol. v. 1: „orator ad vos venio ornatu prologi."
Heaut. prol. 11: „oratorem esse voluit me, non prologum."

---

[1]) Quamquam in prologis Terentianis saepius eaedem sententiae prolatae sunt, tamen eadem verba fere numquam usurpata invenimus.

Hec. prol. v. 2: „Sinite exorator sim, eodem ut jure uti senem
Liceat, quo jure usus sum adulescentior."

Heaut. prol. v. 1/2: „Nequoi sit vostrum mirum quor partis seni
Poëta dederit, quae sunt adulescentium."

Hec. prol. v. 20: „Nunc quid petam, mea causa aequo animo attendite.

Phor. prol. 24: „Nunc, quid velim, animum attendite."

Hec. prol. v. 4: „Mea causa causam accipite et date silentium."

Heaut. prol. v. 41: „Mea causa causam hanc justam esse animum inducite."

Sed si accuratius illos locos contemplamur, illud quod supra dixi, verum esse videbimus. Nam poëta quidem in Heaut. prol. v. 11 actorem dicentem fecit: „oratorem me esse voluit [poëta]"; in nostro autem prologo actor dicit: „orator — venio". — Similiter quoque res se habet altero loco, Heaut. prol. vv. 1 et 2, ubi Terentius scripsit: „quor partis seni poëta dederit, quae sunt adulescentium"; in Hecyrae autem prologo: „eodem ut jure uti senem liceat, quo jure usus sum adolescentior". — Huc spectant etiam Heaut. prol. v. 12: „me actorem dedit [poëta]" et v. 15: „qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum."[1]) Cur aliquid simile in nostro prologo non extat? Nimirum quod Heautont. prologum Ambivius quidem pronuntiavit, Terentius autem scripsit; sed nostrum Ambivius ipse et pronuntiavit et scripsit.

[1]) Bentleius quidem putat verba illa spectare ad partes, quas Ambivius in fabula ipsa suscepturus sit. Sed verba: „qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum" per se de prologi tantum partibus videntur dici posse; si enim illa verba ad partes in actione ipsa susceptas pertinerent, tum scribendum erat: „qui orationem illam scripsit, quam dicam" cet. — Praeterea vocem „orationem" spectare ad illud quod antecedit „oratorem me esse voluit" [v. 11] nemo non videt.

Sed maxime nos offendit, quod Heautontimorumeni prologi vv. 48—50 non mutatis verbis in nostrum prologum [vv. 41—43] transcripti sunt:

„Si numquam avare pretium statui arti meae
Et meum esse quaestum in animum induxi meum,
Quam maxime servire vostris commodis.“

Viri docti[1]) nimirum adhuc hos versus altero loco errore librariorum in textum irrepsisse putabant ideoque in Heautontimorumeni prologo induxerunt, quod ibi codex Bembinus vv. 48 et 49 non exhibet. — Sed primum in Heautont. prologo versus 50 [„quam maxime servire vostris commodis“] tam arte cohaeret cum versu 48 et 49, ut parum probabile sit librarium codicis Bembini in archetypo illum versum 50 solum legisse; sed potius errore deceptus versum 48 et 49, qui in archetypo Bembini extabant, omisisse videtur; quod quidem saepius factum esse apparet ex exemplis ab Umpfenb. praef. p. IX. compositis.[2])

Deinde propter nexum sententiarum nulla est causa, cur altero loco hos tres versus removeamus; utroque enim loco optimum praebent sensum. Ambivio autem, cum in illis eius innocentia valde collaudata esset, maxime idonei videbantur, qui in novum prologum reciperentur.

Jam videamus num quid ex ipsis rebus in prologo tractatis ad nostram sententiam confirmandam peti possit. Ac primum quidem valde dubito, num Terentius, ut Ambivii virtutes laudibus efferret, ea quae de Caecilii fabulis ab Ambivio actis scripta sunt v. 6 sqq., in prologum receperit. Nam etsi Caecilius tunc jam mortuus erat, tamen probabile non est, Terentium illi, qui semper nostro poëtae favebat[3]) et eius fortunam scenicam quasi stabiliverat, tali modo obtrectasse, ut semet ipsum excusaret, quod fabulam jam bis exactam in scenam dedisset. — At Ambivio Turpioni, domino gregis et seni loquaci,

---

[1]) Amdohrius l. s. s. p. 19.
Hoeltzer, diss. Halens. „de interpolationibus Terentianis“. 1878 p. 4.
Wagnerus: „Jahrbücher“ vol. 91 p. 281. — edit. Heautont. p. 32. 1872.

[2]) Andr. III., 5, 54. Phorm. II., 1, 10— 12. alia.

[3]) cf. vitam Suetonianam p. 28/29 ed. Reiferscheid.

qui spectatoribus res suas amplissimis verbis enarrat, hi versus recte tribui posse videntur.

Idem valet de vv. 38 et 39:

„Nolite sinere per vos artem musicam
Recidere ad paucos."

Nam artem musicam ad paucos recidere Terentio haud admodum erat dolendum, dummodo ipse in numero paucorum esset. Ambivio autem id non optandum erat, quod tum ei occasio novas fabulas agendi raro dabatur.

Postremum vv. 47—49 inspiciamus:

„Mea causa causam accipite et date silentium,
Ut lubeat scribere aliis mihique ut discere
Novas expediat posthac pretio emptas meo."

Terentio nimirum dicendum erat non „ut lubeat scribere aliis", sed „ut poëtae lubeat scribere alias", sicut in fine Adelphon prologi:

„Poëtae ad scribendum augeat industriam."

Nam Terenti certe non multum intererat populum aliorum fabulas spectare et probare, ita ut illis „industria ad scribendum" augeretur; sed Ambivio hoc valde optandum erat. Hac igitur ex re intellegitur Ambivium etiam hos versus scripsisse. — Bentleius autem scripsit pro „aliis" cum prima manu Victoriani codicis „alias". Sed non est cur Bembini codicis et reliquorum librorum auctoritate posthabita Bentleium sequamur. Praeterea pronomini personali „mihi" hic quidem aliam vel alias personas opponendas esse nemo non videt. — Retinemus igitur optimo jure scripturam „aliis".

Quaecum ita sint, probabile est Ambivium Turpionem etiam hunc alterum prologum conscripsisse. Quam verbose nobis enarrat se adulescentem fabulas Caecilii egisse, quanta gravitate innocentiam suam et auctoritatem oculis nostris proponit! Toto in prologo eum videmus quasi poëtarum fautorem se praebere; sed nihilo minus in prologi fine innocentiae suae antea [v. 41—43] valde collaudatae — quid mirum? — prorsus obliviscitur dicens:

„Mihique ut discere
Novas expediat posthac pretio emptas meo"!

Denique manifestam habemus causam, cur Terentius hos prologos [1]) non ipse conscripserit. — Nimirum quod omnino non jam Romae aderat, cum Hecyra iterum ageretur. Sed liceat de hac quaestione, quam supra jam breviter perstrinximus [p. 42], nunc accuratius disputare.

Vulgo igitur creditur Terentius post tertiam demum Hecyrae actionem, quam ludis Romanis, Id. Septbr. celebratis, factam esse satis constat,[2]) in Graeciam profectus esse. Quae sententia nititur eo, quod in Suetoni vita Terentiana narratur, poëtam post editas comoedias in Graeciam egressum esse. Sed editae erant comoediae jam diu ante tertiam Hecyrae actionem vel, si Adelphos ante a. u. c. 594 primum actam esse concedis, jam post Phormionis actionem, i. e. mense Septembri a. 593. — Dixerit quispiam, fabulam nondum peractam ne editam quidem esse. Sed „fabulam edere“ nihil aliud significare videtur, quam „fabulam in scenam dare“; multum autem interesse inter fabulam in scenam datam et fabulam peractam apparet ex initio Hecyrae prologi prioris, ubi fabula data a fabula spectata distinguitur:

„ : haec cum datast
Nova, novom intervenit vitium et calamitas,
Ut neque spectari neque cognosci potuerit.“

Quaecum ita sint, nulla est causa, cur Terentium auctumo a. u. c. 594 in Graeciam profectum esse putemus. Praeterea notum est hieme ineunte neminem ultro periculis maritumis se objecisse; gravissimum autem est hoc Philonis Judaei [leg. ad Gai. 548 m. §. 3]:

„ἀρχὴ γὰρ ἦν μετοπώρου τελευταῖος πλοῦς τοῖς θαλαττεύουσιν“ cet.

Sed constat illo initio „μετοπώρου“, quod nimirum in medio fere auctumno ponendum est, Philonis temporibus significatum esse aequinoctium [3]) auctumni [a. d. VII. Cal. Octobr.] Nautae

[1]) Constat Hecyrae prologum priorem ad secundam, prologum alterum ad tertiam fabulae actionem scriptum esse.

[2]) Rh. Mus. XXI. p. 73.

[3]) cf. Ph. E. Huschke: „Das alte römische Jahr und seine Tage.“ Römische Studien, I. p. 133.

igitur, qui ante aequinoctii tempestates in Graeciam pervenire volebant, certe jam ante Id. Sept. Ostia proficiscebantur, cum ad iter conficiendum quattuordecim fere diebus opus esset.[1]) Is igitur, qui Romae ludis Romanis adfuit, vix eodem anno in Graeciam profectus est. Sed haec omnia dicta sunt de aetate Caligulae; quanto magis de Terenti temporibus, scilicet ducentis circiter annis ante! — Quaecum ita sint, Terentius, si tertiae Hecyrae actioni intererat, eodem anno certe in Graeciam profectus non est.

Nihil igitur restat, nisi ut credamus vere ineunte anni insequentis poëtam egressum esse. Sed cum poëta a. 595 Romam redire vellet [cf. vitam Suetoni] et id ei jam auctumno exeunte faciendum esset, tempus „percipiendi Graecorum instituta moresque ac novas faciendi fabulas“ [cf. vitam] perbreve fuisset, si vere demum a. 595 urbe excessisset. Praeterea tum Suetonius scribere non potuit: „post editas comoedias egressus est“, cum magnum spatium temporis inter fabularum editionem et Terenti iter interesset.

Terentius igitur aut Id. fere Septbr. a. 594 Roma profectus ludis Romanis non interfuit aut jam post aequinoctium vernum scilicet Cal. fere April. eiusdem anni egressus est, quod quidem probabilius est; nam cum sine dubio diutius in Graecia morari vellet, certe opportunissimum tempus ad iter faciendum sibi elegisse putandus est, non maxime iniquum, ut Philo Judaeus legationis officiis obstrictus. Quodsi Adelphos jam ante ludos funebres L. Aemilii Pauli a. 594 celebratos primum actam esse concedimus, etiam alteri Hecyrae actioni Terentium non interfuisse neque prologum priorem conscripsisse existumare debemus.

Sed aliud etiam accedit, quo haec sententia probetur, Terentium non jam Romae fuisse praesentem, cum Hecyra denuo exigeretur; Terenti enim adversarius, Luscius Lanuvinus, cuius criminationes Terentium omnibus in prologis refutare videmus, sane hic nostrum poëtam vituperare potuit, quod fabulam jam antea exactam iterum et tertio retulerat. — Sed Luscium non vituperasse poëtam ex eo concludi potest, quod neutro in prologo ille se defendit; nam Terenti adversarii semel modo v. 46

[1]) cf. Friedlænder: „Sittengeschichte Roms“ 1864 vol. II. p. 10, 11, 13.

commemorantur. Verisimile igitur est Terentium non jam Romae fuisse, ita ut Luscius eum objurgare non posset.

Versus autem 46:

„Ne eum circumventum inique iniqui inrideant.“

non minus de absente quam de praesente Terentio dici poterat. Praeterea Terentius, si adversarios in prologo suo commemorasset, talia verba non usurpasset; illis enim fatetur, se timere ne adversarii superiores fiant. Hoc tantopere abhorret a Terenti fiducia in reliquis prologis et in prioribus et multo magis in posterioribus expressa, ut tam demissa et humilia verba poëtae tribuere nequeam. Atque haec quidem hac tenus.

Liceat mihi paucis verbis comprehendere, quae demonstravisse me arbitror.

Ex argumentis, quae supra sunt allata, concludi potest alterum Hecyrae prologum certe non a Terentio, sed ab Ambivio Turpione, domino gregis, qui huius prologi partes susceperat, conscriptum esse; sed si concedimus Adelphon actionem a. u. c. 594 non primam fuisse, sine ulla dubitatione etiam Hecyrae prologus prior Ambivio tribuendus est. — Terentius autem ipse aut aestate aut vere anni 594 jam in Graeciam profectus est.

Vita.

Hermannus Guil. Georg. Schindler natus sum Francofurti ad Viadrum siti die XVIII. mens. Aug. anno h. s. LVIII. patre Hermanno, matre Maria e gente Hartmann, quos mihi morte ereptos esse lugeo quam maxime. Addictus sum fidei evangelicae. Undecimum annum agens in quintam classem gymnasii Fridericiani Francofurtensis receptus sum et octo per annos huius scholae discipulus fui.

A. h. s. LXXVII. tempore paschali maturitatis testimonio instructus Lipsiis per bis sex menses juris Romani studiis deditus sum. Tum Berolinum adii, ut philologiae operam darem. Scholas autem frequentavi, quas habuerunt viri doctissimi: Curtius, Harms, Hübner, Kiepert, Kirchhoff, Paulsen, Scherer, Tobler, de Treitschke, Vahlen, Zeller. — Ante hos duos annos Halas Saxonum me contuli ibique usque ad hoc tempus viros doctissimos: Dittenberger, Dümmler, Erdmann, Gosche, Haym, Hiller, Keil, Zacher audivi. — Seminarii philologici per duo semestria fui sodalis ordinarius; praeterea Hiller et Keil benigne permiserunt, ut societatibus philologicis interessem. Quibus viris omnibus optime de me meritis debitas gratias semper habebo.